

## NEOVIDENSIS

Nro. 82. (*Neovidensis* 1805. Nro. 79.)

*Ex Campis Elysiis*  
*Colloquium Politicum vita functorum.*

*Elysium -- Meum. -- Die Martis 15. Oct. 805 (Neov. 1. Oct.)*

Hobbesius ingratis revolutionum temporibus induratus, erga homines, ita dicendo, semper iratus, quid mirum, hoc eum principium statuisse:  
*Homo homini Lupus.*

Colloquentes:

*Hobbesius, & Tuckerius.*

*Tucker.* Ergo secundum tuam sententiam bellum esset naturalis hominum status? sum curiosus, quomodo hoc possis propugnare.

*Hobbes.* Benevolas dicenti præbe aures! Apud me sola valet experientia; illam haurio, veluti potator vini, parum sollicitus, an quis ex eodem poculo bibat, seque ingurgitet. Meum non est pro aliis cogitare, ego mihimet ipsi cogito. Usu rerum doctus assero, nunquam duo una vixerunt, qui in

suis opinionibus, actionibusque non discordassent. Ad aulas, ubi Majestas reverentiam imperat, — terribiles factiones; ad cœnobia, ubi sanctitas ad gubernacula sedet — invidia & dissensio; ingredi domos civium, eorumque culinas, ubi vel duæ ancillæ famulantur — rixæ, & contentiones. Ubique terrarum, in omnibus regnis, apud universas nationes, cultas, & barbaras idem est rerum cursus. Hostilitas est hominibus naturalis, est illis ingenua; hanc inter gentes bellum nuncupamus, ergo bellum est naturalis hominum status.

*Tucker.* Intelligo, cui fundamento innitatur tuum symbolum: *Homo homini lupus.*

*Hobbessius.* Est fundamentum meæ experientię.

*Tucker.* Tua experientia omnino erat experientia turbulentorum temporum, ubi bella civilia furebant, atque ex his rerum adjunctis dijudico ego tuas perturbatas ideas. Sed tuæ actiones ab his principiis multum abuserunt. Tu aulicis odium, & contemptum conflavisti, & tamen quærebas ibi amicos, quibus suavissime blandiebare.

*Hobbessius.* Unicuique liberum est, deteriora etiam adhibere instrumenta ad suam salutem promovendam. Si mihi in profun-

dum puteum demerso cacodæmon caprinum suum pedem porrigeret, profecto ambabus manibus eum arriperem, ut periculum evadam: Tu forte putas alium, pietate, & sanctitate ornatum, in simili occasione pedem mali genii caprinum non apprehensurum?

*Tucker.* Sed quæ hæc rerum connexio?

*Hobbesius.* Exigua. Dicere volui, quid possit politica, & quæ necessario post se trahat consecutaria bellum, naturalis hominum status.

*Tucker.* Eo magis poteris nunc in hac materia tuam phantasiam exercere, namque secundum omnes relationes, quas adventæ ex orbe superiori faciunt, miscentur omnia belli turbine.

*Hobbesius.* Et quid caprinus dæmonis pes?

*Tucker.* Semper tua repetis sophismata; utique clare dico, mundum superiorem totum in armis esse.

*Hobbesius.* Res singularis! Loqueris de bello, & publica scripta, quæ nunc ephemerides vocantur, quæve meo tempore adhuc ignotæ erant, commemorant, utriusque Gentis legatos Viennæ, & Parisiis hucdum

morari in suis stationibus, seque pacifice gerere; nuper Berolini a Gallico legato Austriacum, & deinde ab Austriaco Gallicum fuisse convivio exceptum; Cursores adhuc utrinque Parisiis, & Vindobona commeari; de celebrando congressu agi, atque itinera militum eo tantum tendere, ut imminentes tractatus defendantur. Si hoc est bellum gerere, meretur profecto pacificum dici, quali nomine nullum adhuc bellum fuit insignitum.

*Tucker.* Erras dilecte Hobbesi! Tales quidem spes aliquo tempore alunt homines; sed ultimæ relationes Parisinæ de 25, Sept, rem totam invertunt. Prælegam tibi easdem, Audi, & obstupesce.

In conventu Senatorum de 23. Septemb, (ita ephemerides aulicæ) de bello, & pace, & dispositionibus ad eam rem pertinentibus, memoratu digna decreta lata sunt. Minister negotiorum externorum exposuit mutua politica facta Galliam inter, & Austriam inde a pace Lanævillensi. Tandem ad propositionem Oratorum istud est conclusum: A. 1806. 80000. conscriptorum colligentur. Hi eo tempore convocabuntur, quod Imperator designaverit, hicque numerus ex illis Gallis conflabitur, qui a 23. Septembris 1785. usque ad 31. Decembris 1786 nati sunt.

Ad relationem Status Consilarii Segür sequens Senatus consultum factum est: 1) Natio-

nales turmæ iterum erigentur per Cæsarea decreta, quæ in præscripta pro publica administratione forma emanabunt. Imperator nominabit Officiales. 2) Sua Majestas Imperator defiget tempus, quo novus rerum ordo in qualibet imperii provincia effectui detur. 3) Nationales turmæ tutabantur securitatem internam, limites, & oras maritimas; cumpri-  
 mis autem munimenta eorum fidei, ac fortitudini concedentur. 4. Si nationales turmæ in ordinem militarem fuerint adlectæ, omnibus ejus juribus, & prærogativis gaudebunt.

In eadem sessione Imperator in hunc modum peroravit: Senatores! in his rerum circumstantiis necessarium esse existimo, in medium vestri comparere, atque vobiscum mea sensa communicare. Lubet Urbem principem deserere, meque a fronte exercitus collocare, ut meis fœderatis promptum feram auxilium, & carissima meorum populorum commoda propugnem.

Æterni continentis inimici voti damnati sunt; bellum incepit in meditullio Germaniæ. Austria, & Russia inivit cum Anglia armorum societatem, & præsentem mortales de-  
 nuo in omnes belli calamitates præcipitati sunt. Ante paucos adhuc dies sperabam conservatum iri pacem; minæ, & læsiones me nequaquam commoverunt; sed exercitus

Austriacus transivit Oenum, Monachium est captum, Elector Bavarix̄ sede sua pulsus, & sic omnes meæ spes evanuerunt.

Hoc puncto temporis malitia inimicorum continentis detecta est. Metuebant declarationem sinceræ meæ pro pace voluntatis; metuebant, ne Austria visa voragine, quam illi foderant, ad consilia justitiæ, & moderationis revertatur, præcipitem egerunt in bellum. Miseret me sanguinis, qui per Europam fundetur; at inde Gallorum nomen novo fulgore coruscabit.

Senatores! Dum ex vestra sententia, & totius populi gallici suffragatione Imperatoria corona caput meum præcingerem, impositam mihi a vobis, & omnibus civibus suscepti obligationem, eandem puram, & ab omni labe immunem conservandi. Meus populus quavis oblata opportunitate sufficientia suæ erga me fiduciæ, atque amoris dedit specimina. Ille properabit ad vexilla sui Imperatoris, & sui exercitus, qui intra paucos dies limites transgredietur.

Ministri, milites, cives, omnes liberam volunt patriam ab Imperio Angliæ, quæ si victor evaderet, non nisi ignominix̄, ac turpitudinis plenam nobis concederet pacem, cujus præcipuæ conditiones forent, ut nostræ classes comburantur, nostri portus oppleantur, & industria funditus deleatur.

Quæcunque gallico populo pollicitus sum, sancte servavi; ita etiam populus gallicus omnia, ad quæ se obstrinxerat, ad amissim implevit. In his itaque pro sua, & mea gloria gravissimi momenti circumstantiis non morabitur, se nomine *magni populi* quam dignissimum reddere, quo ego eum ex medio præliorum sæpe numero salutabam.

Gallica progenies! Tuus Imperator faciet suum officium, mei milites facient suum, tu quoque fac tuum.

---

### B i o g r a p h i æ:

*Thomas Hobbes*, ab eruditis dictus *Hobbesius*, vel *Hobbius*; natus erat *Malmesburie* A. 1588. Patre præcone sectario. Anno ætatis vicesimo factus educator Comitis *Devonshire*, cum eodem peregre abiit in *Italiam*, & *Galliam*. Bellum civile in *Anglia* ortum eum compulit, ut alteram susciperet in *Galliam* peregrinationem. Quæsitam diu quietem *Parisiis* reperit. Hic celebre suum opus *de cive*, postea vero, quod *Leviathan* inscripserat, publici juris fecit; verum omnes docti impugnarunt proposita ab eo principia. Domum etiam redux nactus est adversarios. *Carolus II* Rex *Angliæ*, iterum conscendit thronum, & *Hobbesium* pensione donavit. Ultimos vitæ dies transegit apud suum alumnum *Co-*

mitem Devonshire Hartvici, ubi A. 1679 annos natus 92 diem obiit supremum. Hobbesius multa edidit scripta, sed in omnibus spargebat semina Atheismi; erat reipsa præcursor Spinosaë. In fine vitæ valde meticulousum se exhibuit, & licet nullum voluerit admittere discrimen virtutem inter, ac vitium; fidelem tamen suum fanulum semper nomine vivæ virtutis compellabat.

*Tucker* (*Josias*) Doctor Theologiæ, & Decanus Glocestriensis, magni nominis tam Politicus, quam Theologus, quod abunde probant ejus copiosa, & insigniter concinnata opuscula, uti etiam sacræ orationes ad concionem dictæ. *Tucker* erat e primis, qui cum successu defenderunt sententiam; *Sejunctio* coloniarum plus lucri, quam damni adferet Magnæ Britanniaë. A. 1799 4. Novembris annum agens octogesimum primum vitam cum morte commutavit. Quam magna ille sibi merita doctis elucubrationibus comparavit, non minora numerat in sacro constitutus munere; coluit etiam amicitiam, & deditus erat beneficentiæ; sed in utroque genere ducem prudentiam sequebatur.

---

*Recentiissime prodivit, venaleque prostat:*

*Gruberi* (C. A. *Elogia, & Epigraphica*. Quibus accedit *Diagnosis librorum ab arte Typographica inventa, usque ad annum 1560. typis editorum. Posonii 4. 40 kr.*

---